

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 3892

**Auteur(s) :** Philippe III le Hardi, France (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Guillaume Canterel, bourgeois de Pont-Audemer [autre]

**Genre d'acte :** vidimus

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1281, juin

**Lieu d'émission :** Paris

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Philippe [III], roi de France, vidime la charte de Renaud Barbou, bailli de Rouen, et approuve la concession qu'il a fait par cette charte au nom du roi du péage d'écluse de Manneville[-sur-Risle] à Guillaume dit Canterel, bourgeois de Pont-Audemer, et à Raoul d'Elbeuf, écuyer.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 963, p. 244-245.

b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 373.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod nos litteras ballivi nostri Rothomagensis vidimus in hec verba :

Noverint universi, presentes et futuri, quod ego Reginaldus dictus Barbou, baillivus Rothomagensis, Guillelmo dicto Canterel burgensi de Ponte Audomari et Radulfo de Eullebuef armigero, et eorum heredibus, ad firmam perpetuam, nomine excellentissimi principis domini Philippi, Dei gratia, Francorum regis, tradidi et concessi, in feodo de Borneboz, exclusagium de Magneville cum pertinenciis suis, quod valet viginti quatuor solidos per annum vel circa, homagia hominum tenentium de dicto feodo de Bourneboz in dicta parrochia et in parrochias circumadjacentibus, releveia, expleta et simplicem justiciam eorundem, et octo acras et tres virgatas bosci cum fundo sine tercio et dangerio, pro decem libris tresdecim solidis et octo denariis turonensibus domino regi annuatim solvendis, medietate videlicet ad Pascha et alia medietate ad Sanctum Michaelem ; et de dicta firma, ut dictum est, solvenda dictus Guillelmus duas acras terre sue sitas in campo de Valle Crucis et dictus Radulphus duas acras terre sue, sitas in campo de Fovea regine, in parrochia de Magnevilla predicta, in contraplegium obligarunt, domino regi una cum predictis ad firmam traditis perpetuo remansuras, si ipsos vel heredes suos a contractu hujusmodi contingere resilire. Premissa vero eisdem Guillelmo et Radulpho et eorum heredibus, sicut dictum est, concessi, salvo jure in omnibus alieno, et retentis dicto domino regi spate placito cum pertinentibus ad placitum spate, jure patronatus, homagio feodorum lorice integrorum vel partitorum, et francarum serjanteriarum, si de dicto feodo, de quo dictis Guillelmo et Radulpho predicta tradidi, teneantur. Si autem, occasione premissorum vel alicuius de premissis ad firmam traditis, inter Guillelmum et Radulphum predictos et homines tenentes de eodem feodo aliquam contingat oriri querelam, concessio mea talis est quod dicta querela ad primas assisias vel placita

ipsius domini regis sine dilatione et essonio audiatur ac etiam terminetur. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris sigillum baillivie Rothomagensis apponere dignum duxi. Actum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> octagesimo primo, mense aprilis.

Nos vero predictam traditionem et omnia premissa, prout superius continentur, quantum in nobis est, volumus et concedimus et rata habemus, salvo in aliis jure nostro et jure quolibet alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini millesimo CC<sup>o</sup> octagesimo primo, mense junio.